

quondam fecundi steriles nonnunquam, vel longè minus fertiles esse deprehenduntur. Possunt etiam ex ipsis fluuiis hanc veritatem confirmare, qui depressiora per terræ exaggerationem paulatim replent, & eleuant, sicut & altiora loca corrosione deprimunt, vt in Ligeri constat, qui Galliam præterfluit. Huc refertur potest Georgius Agricola, qui l. 3. de ortu, & causis subterraneorum ait montes ab aquarum impetu produci. Quod autem de fluuiis diximus, idem de mari intellige, cuius exaggeratione littora altiora fiunt, & illud ingrediuntur, adeo ut mare recedere cogatur. Confirmatur ex Aristot. 1. meteor. c. 14, qui faretur magnam illam Ægypti aggerationem ex arenis, & limo ex Æthiopia montibus simul cum Nilo in mare delabentibus esse constat, & antiquo littori additam, cui proinde locum mare cesserit, ideoque hunc terræ cumulum Delta, Nilique donum Herodotus appellauit, quia Nilus terram hanc illic asportauit. Vide, si lubet, alia regionis Ammonie, paludis Meotidis, Bosphorique Thracij exempla apud Arist. loco cit. Plinius etiam mare ab Ambraciæ portu 10 millia passuum, ab Athenarum verò 5, millia recessisse scribit. Adde quod, Strabone teste l. 12, Pyramus Ciliciæ fluuius tantum limum in mare deducat, tam ex Cataonia, quàm ex Ciliciæ campis, vt de eo hi versus inстар oraculi scripti sint,

*Tempus erit rapidis olim cum Pyramus vndis
In sacram veniet congesto littore Cyprium.*

Omitto Raucennam olim in extremo littore sitam, nunc verò plurimùm à mari distantem: Æstuarium Venerum, de quo Blancanus aded timet, vt Venetias ex maritimo loco terrestrem factum iri vereatur: cumque per varias arenarum aggerationes maris alueus angustior, & elatior fiat, tæque quotidie magis recipiat, necessarium esse videtur, ita mare aliquando sublimari, vt exundet, prout iam in littoribus Baltico, Danico, & Hollandico factum est, quæ prælongis, & tam altis aggeribus antea non indigebant.

Ex quibus omnibus facillimo negotio Deum esse probamus, cum enim montes paulatim ab aquis in maris, & fluuiorum concuuitates, & in loca campestria deportentur, necesse est, vt mare modo huic, modo alteri terræ superficie superfundatur, & terra, veluti mundi primordiis, inhabitabilis reddatur: quod fiet, dum terra suæ figuræ primigeniæ restituerit, & perfectè spherica fiet, atque tota marinis fluctibus obtegetur. Igitur nequitiam ab æterno figuram hanc, qua nunc eam affici cernimus, habuit; igitur ex sua natura non illam figuram expetit, igitur non est ab æterno, alioquin enim montes ab aquis excessi, consumptique fuissent, cum in dies ex illis absument aliquid.

Age verò quis terræ figuram illam, quam nunc habet, impressit? quis eam terræ cum cælo stellato analogiam, atque obseruauit, vt ea sit inстар puncti respectu firmamenti, quod nempe continet eius magnitudinem 2744 00000000: quod maximè patet ex eo, quod in qualibet terræ superficie positi, cæli dimidium æquè videamus, ac si in orbis terreni per medium abscissi centro staremus, & styli solariorum horologiorum horas ad exactè indicent, ac si vertex ityli in centro terræ existeret, cum tamen sit in superficie, atque supponatur esse in centro; vnde cõitat terræ semidiametrum, licet milliariibus 3436, constantem, ferè nihil esse, si cum illo spatio conferatur, quo firmamentum à nobis recedit. Cur obsecro, Athee, terræ diameter

tam pauca milliaria obtinuit, vt 6873 finiretur milliaribus, & solas bis mille ducentas nonaginta & vnã leucas Gallicas obtineret? An potius ex natura sua leucarum Gallicarum, quæ tribus milliariibus constant, septem millia ducentas, in sua circumferentia, quàm plures, aut potiores requirebat: nusquam sanè, quippe quæ saltem ex æquo conferuari, & omnibus suis essentialibus, proprietatibusque frui poterat, si maiorem peripheriam habuisset.

Quis ergo hæc omnia pro libito compegit? Vt nam Athei sequentia Dei verba accurate perpendere, quæ apud Lobum c. 38. habentur. *Accinge sicut vir lumbos tuos, interroga te, & respõde mihi. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si noster: vel quis tetendit super eam lineã: super quo bases illius solidate sunt: aut quis demisit lapidem angularem eius. Cum me laudarent astra matutina, & subilarẽt omnes filij Dei, &c. Quæ ibidem elegantissimè subiciuntur; Verum fortè fatuus fuerit ex ipsis paganis testimonia depromere, quibus Athei confunduntur, cum Scripturæ sacræ vale dixerint, vt in die Iudicij ab ijs cõdemnentur, qui nullo vnquam diuinæ fidei radio illustrati fuisse videntur: inter quos vnus pro cæteris satisfacere poterit Ouidius l. 1. metamorph. initio, qui postquam de Chao verba fecit, hæc habet:*

*Sic erat instabilis tellus, innabilis vnda,
Lucis egens aër, nullis sua forma manebat,
Obstabatque alijs aliud, quia corpore in vno
Frigida pugnant calidis, humenta siccis,
& Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

Quæ verò sequuntur, aduersus Atheum è diametro militant, cum, authore Deo, poëta fateatur hæc omnia suis locis constituta, fuisseque limitibus circumscripta fuisse,

*Hanc Deus & melior linem natura diremit
Nam cælo terras, & terris abscondit vndas,
Et liquidum spisso secretis ab aère caelum,
Que postquam euoluit, cæcòque exeruit æceruo,
Dissociata locis concordia pace ligauit.*

Vbi aduerte tam poëtas, quàm Philosophos naturæ nomine Deum intellexisse, quod ex Seneca constat, quem ita Lactantius refert l. 2. diuin. instr. c. 9. Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nihil aliud esse naturã, quã Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? nec enim illam didicit ex vilo. Imò laudabimus, quamuis enim naturalis illa sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipsa natura est. Deinde Lactantius aduersus Tullium disputans pergit. Cum igitur ortum rerum tribus natura, ac detrahis Deo, in eodem luto hæsitans, versuram soluis Geta. A quo enim fieri mundum negas, ab eodem planè fieri mutato nomine confiteris: lege totum caput, in quo Ciceronem egregiè refellit, qui materiam, & elementa non à Deo facta, sed esse talia ex natura sua contendebat.

Alij vero Deum naturam naturantem; alij necessitatem, quasi essentiam immobilem existentem; quidam Eimarmenem, & fatum à conserta rerum serie; nonnulli Mæram, seu sortem, & parcam à partitione rerum; alij Pepromenen, quod omnia à Deo terminata sint, adeo ut inter res creatas nihil sit in finitum; Nemesin etiam, quod omnia cuique distribuat, & Adrasten causam inuitabilem, & Æsan quasi aet. serus semper existentem appellauerunt; quapropter vbi hisce nominibus gentiles vti vide-

circumferentia quanta sit.

Iob. 38.

Ouidius.

Lactantius.

Variã nomena quibus gentiles utebantur, vt Deũ significarent. Eimarmenen. Mæram. Pepromenen. Æsan.

Geor. Agricola.

De mari. Aristoteles.

Delta, Nilique donũ quid sit. Herodotus.

Strabo. Pyramus fluuius.

De Raucenna.

Vbi mare exundauit, & cur.

Quoties terra à firmamento continetur.

Terræ diameter &